



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

27. Dies Martii. Bona temporalia ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna bona, dantur & malis. August. ep.70.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

ra. Ne ergo tui exitio, nimium tuo indulgeas genio, in hoc impendas omnes nervos tui ingenii, ut comprehendas omnium rerum genios, quia ob rerum impetitiā, multi pereunt. Nullus tibi p'us nocet, quā tu ipse tibi dum nocitura eligis, profitura rejicis. Omnia tibi erunt innoxia, si ipse tibi peccando non nocet. Quid enim tibi, si fueris innocens, nocet, quandoquidem:

*Quod nihil, & nulli nocet, utique non nocet ulli?*

## 27. DIES MARTII.

Bona temporalia ne putentur mala, dantur & bonis: & ne putentur magna bona, dantur & malis. *August. ep. 70.*

Creata bona I.  
sunt tantum  
Dei vesti-  
gia.

**A** Dhuc scrutamur auream venam boni, ne decepti bonorum larvis, reddamur mali. Illa, quæ vulgi impetiti sensu existimantur non mala, & æstimantur ut bona, dantur bonis, ne natura sua judicentur mala: sed ne perverso judicio censeantur bona magna, dantur & iis, qui coram Deo non sunt magni, id est, malis. Illud unum perenni ab omnibus fletu est deplorandum, ut cum illa bona dantur malis, illis toto affectu consecrati, eum deserant, à quo omne bonum, siue ipsam bonitatem. Quid si Monarcha, totius terræ Dominus, designaret diem, quando, & locum ubi vellet communi omnium procerum cultu, & adoratione inaugurari, & ad hoc indictis jam comitiis, toto magnificentiae suæ apparatu in throno consideret, expectans in publico confessu sibi addictum cultum, & si cum populo, Dynastæ omnes spreto Cæsa-

re, eique obverso tergore, non Cæsarem, sed Cæsaris impolitum aliquod simulacrum venerarentur. Imò si non ejus simulacrum; sed in qua nulla illius foret similitudo, notam vestigi ejus colerent, & proni adorarent. Quis foret illius sensus? quæ excandescentis animi indignatio? Hæc de te non est fabula, nec parabola, sed historia.

II. Bona creata, quæ sunt vestigia Creatoris; bona mutila, & informia, quæ sunt rudia lineamenta infinitæ Bonitatis, bona peritura, inquam, deperis, illa tibi sunt in loco primo, in pretio summo, quæ sunt nautici, & flocci; illa tota corporis, & animi contentione sequeris, & prosequeris, ut assequaris, & Deum, ex quo, in quo, per quem omnia bona, solitarium relinquis. Tu illi, à quo, & propter quem procreatus es, stupente cælo, indignante terra, obvertis tergum, & illi præponis lutum: imo quis non deficiat præ dolore, hoc audiens? præfers cænum Divinitati, ut cænum attollatur in Deum. Quid tibi ò Anima imponis, ab aliis imponi sinis? Nosce bona creata non esse nisi Creatoris rudes imagines, multum dissimiles similitudines. Cur placet umbra, & displicet vivum Archetypum? Quid si peregrino ex itinere fatigato proponas hinc equum vivum, inde sculptum? quid aget, ut commode peragat iter? an relicto vero & vivo equo, insiliet in fictum & sculptum? an, ut equitet, accipiet statuam equi, quâ onustus fatigabitur magis equum portando, quàm sublevabitur ab equo portatus? Bona creata tibi peregrinanti ad illam, quæ sursum est Jerusalem, magis sunt oneri, quàm ului: sunt emortuæ statuæ Bonitatis vivæ. Proponere homini immaniter esuriienti panem verum, & pictum: annè, ut pellat famem,

accipiet pictum panem ? Hæc tua ipsissima est stoliditas, clamas cum Prodigio : (a) *Fame pereo* ; & ubi ne pereas, habes panem vivum, qui descendit de caelo ; ambitiosè prehensas, ut pereas, panem pictum, hoc est, umbras æternæ Bonitatis.

III. Panis pictus non satiat ; sed figura est ejus quod satiat : sic bona creata non satiant infatiabile cor, sed imagines sunt illius, qui unus satiat omnes, Dei. Congere unum in cumulum bona omnia creata, & creanda, non plus poterunt voluntati satisfacere, quàm gelidam manum pictus ignis calefacere. Prunarum ardentium pictura, est ad oblectationem luminum, non ad calefactionem manuum. Tauri dum fanum habent in cornu, divertuntur, & illuduntur objecto pallio, aut alia re, quam innoxie sine hominis periculo impetant : tu objice graffanti cupiditati summum Bonum, ut à creatis bonis illam divertas, in quod cum fructu ruat, atque in eo impetum desiderii sistat, quo ipsa consistit. Quid inhias stillæ extrate, cum habeas salientem fontem intra te ? Quid vis cum Lazaro micis satiari, cum possis in cæna illa magna splendide epulari ? Quid vis impleri atomo, cum habeas quæ totum te impleat ipsam Plenitudinem ? Si avaro postulanti nummum argenteum, offeratur aureus, illo rejecto aureum arripjet ; quia in hoc argenti valor non tantum includitur, sed exceditur. Sic Cupiditati anhelanti opes, & delicias, illum objice, qui & hæc, & alia omnia infinito suo complexu continet. Itaque si tibi vis consultum ; audi, & sequere Poetæ consilium :

*Factum factori summo præponere noli.*

28. DIES

(a) *Luc. 15.*